

Kapsel 78 N 12 [80] X3011630

CYGNUS SYMBOLICUS,
VIRO
MAXIME REVERENDO, EXCELLENTISSIMO, AM-
PLISSIMO, DOCTISSIMOQVE DOMINO,
DOMINO
SIGISFREDO
BECKIO,

LICENTIATO THEOLOGIE CELEBERRIMO,
HACTENUS

PASTORI ET SUPERINTENDENTI APUD LEISNI-
CENSES LONGE MERITISSIMO,

NUNC VERO

PASTORI ET SUPERINTENDENTI TAM
ECCLESIARUM URBIS CYGNEÆ, QVAM DIOECE-
SEOS AD HANC PERTINENTIS, NECNON SCHOLÆ CYGNEÆ
INSPECTORI PRIMARIO, DIGNISSIMO, GRAVISSIMO,

CUM

DELATUM SIBI MUNUS SPECTABILE ANTISTITIS

DIE 3. CALEND. SEPTEMBR. ANNI M DCC XXXV.

BONIS AUSPICIIS AGGREDERETUR,

AD

TESTIFICANDAM PIETATEM, SUBMISSIONEM, LÆTITIAM
ET SPEM CERTISSIMAM FAVORIS AC PATROCINII,

OBLATUS ATQVE DICATUS

A

COLLEGIO,

QVOD CYGNEÆ EST, SCHOLASTICO,

INTERPRETE

GEORGIO ANDREA VINHOLD, R.

LITERIS,

DANIELIS GOTTLIEBII WUNDERLICHII.



Kapsel 78 N 12 [80]

AV



CANDORQVE CANORQVE.

CYGNE, paludosis gaudens latitare sub ulvis,
Stagna per, & fluvios, & aqvas in marmore vasto,
Remigioqve pedum fluctus fulcare sonoros,
Cœruleiqve maris Mæandros ludere ad actas,

Cum micuere poli, socios etiam inter olores:
Insta cui requies, nullo turbata tumultu,
Intus alis pacem, nec Martem accendere tentas,
Si non bella movet solus Jovis armiger ales;
Attamen obtingit tibi tunc victoria læta:
Deniqve dulce melos fundis, cum fata suprema
Impendent: potis es Sirenas vincere cantu:
Huc ades ad virides Moldani fluminis agros:
Tolle caput, nostris defigens lumina regnis.
Nec te pœniteat ridentia prata Caystri,
Delitiasqve tuas, tractusqve rubentis eoi
Deseruisse: domos juvat adspectasse vetustas
Tubantum; heic viguit SCHWANFELDIA nomine tellus,
Innumerabilium cygnorum habitata catervis,
Urbs CYGNEA cluit cygnorum mater & altrix.
Inde ferunt hujus, monumenta perennia fama,
Antiqvo in clypeo bis terna locata cygnorum
Corpora. Tu nostris succede penatibus hospes:
Pelle moras, celeriqve veni gens casta volatu.

Advolat en subito Phœbæus ales ab æthra
Accelerans Asiæ, natali sedè relicta,
Qvæ fuerat quondam statio gratissima Patrum:
Dius ubi primis umbracula texuit hortus
Sedibus Adami, natos sine semine flores
Pomaqve de vivo semper vernantia trunco
Mulserunt Zephyri [o nunquam moritura voluptas!]
Inde salus hominum, Dominus, regnator Olympi,
Sumserat humanos artus, de Virgine partu
Editus, ut populum spissa caligine septum
Eriperet tenebris, venturum in luminis auras.
Hinc quoqve per totum, quæquæ patet, exiit orbem,
Pacem cœlestem portans vox enthea: Adeste;
Machina laxatur cœli venientibus ultro.

Obstupuit præsens novus hospes solis ab ortu
 Et visò infolito, & speciosa fronte nitentis
 Aligeri, & dubius secum dum corde volutat,
 Quæ sit volucris, cuius regionis & oræ,
 Præco ait : Haud ego te per longa exorsa morabor,
 Res tectas paucis, aures adverte, docebo,
 [Tu patrias repetens terras narrare memento]
 Ne dubios turbet pendens sententia sensus.
 Si facies nudas liceat comprehendere visu,
 Ast non velatas capiant tua lumina mentis.
 Namque hic tergeminus sub imagine cernitur ales,
 Ales olorini candoris, pectoris albor,
 Ales olorinæ virtutis, dictaque factis
 Jungere amans, atque ore ferens, quod pectore condit,
 Ales olorinæ dulcedinis, arte loquendi
 Et gravitate pari replens sermonibus aures.
 Hæc igitur volucris specie prælustris & usu,
 Dotibus effulget ternis, ceu corpore in uno
 Ennius, ingenio magnus, tria corcula dictus,
 Ore loqui validus Græcoque Oscæque Latinoque :
 Aut uti Geryones tenuit tria regna tricorpor.
 Lactea simplicitas morum, voxque ipsa docentis
 Suave sonans, nomen duplicat, CANDORQUE, CANORQUE;
 Sed triplicat probitas, fidei doctrina, salusque
 Nunquam desperanda piis, dum vita renidet,
 Numinis auspiciis, operum fœcunda bonorum :
 Sive Bojemorum placeat tibi vocula, Luther,
 Jucundo signans placidum modulamine cygnum,
 Ceu verum augurium depromsit pectore vates,
 Hussius ille, canens divina oracula martyr.

Vix ea fatus erat Præco, cum fata benigna
 Cygneo populo, quos & vicinia nutrit,
 Insignem meritis ac dotibus æthere natis
 Exhibuere virum coram, quo Præfule rerum
 Sacrarum Cygnea simul, simul illius arva
 Gaudia testantur ; plaudunt juvenesque senesque.
 BECKIADEN sibi forte datum ter sidere fausto
 Jam spectant oculis, spectato reddere honores,
 Quos modo cunqve decens animi submissio svadet,
 Certatim cupiunt. Stimulant pulcherrima cunctos
 Consociata sibi : prudens moderatio vitæ,
 Tuta magis sectata, nimis sublimia spernens,
 Et Phaethonteos ausus exosa procaces :
 Lentati motus animi : tranquilla potestas,
 Quod violenta negat, peragens : non aspera virtus
 Inferiora premens : perlucens gratia vultus :
 Mens studiosa boni, quæ sese in singula versat :
 Nutus ad obsequium blando molimine ducens :
 Illibata fides, stans inconcussa per ævum,
 Et dum vita manet : pietas infracta procellis :

Non simulatus amor, fuciqve doliqve maligni
Nescius, & priscus spirans in pectore candor,
Nulli se parti vendens, servantior æqvi:
Ac faciles mores, & mollia verba severis
Intermixta, imas feriant quæ voce medullas,

Qvare agite, o cives, solvamus debita tanto
Pastori, pariterqve novos gratemur honores,
Nec tam justarum demus præconia laudum,
Qvam consecrata suspiria mente profecta.
Tu, Præco, tu præsto fies, tu concipe vota,
Et concepta refer. Præco mox talibus infit:

Salve, VIR Venerande, Tibi, nobis quoqve salve,
Antistes Cygneæ, dehinc moderabis habenas
Sacrorum, quanta est illi concessa facultas,
Qvi præsit templis, ubi constans floreat ordo,
Et ritus æqva servantem lege tenorem.
Hactenus eximia gestasti laude tiaram,
Crescit at in majus Tua terris didita fama,
Cum latas jam jam occipiat volitare per oras.
Annuat auxilio Omnipotens, & cœpta fecundet!
In cœlo residens exaudiat aure benigna
Teqve Tuasqve preces, cœlesti flamine fufas,
Et quæ perrumpant nubes, & in æthera tendant!
Si furgant forsân commissa grandine nimbi
Ac ponto incumbant, ut navem turbine quassent:
Ille DEus, qvi Te primis contexit ab annis,
Protegat in portu contra omnia tela furoris,
Qvo pugnans hosti felix sine clade triumphes!
Suppedidet vires, qvo possis ferre labores,
Amphitryoniadæ poscentes membra valentis,
Suggerat & vires animi clementia cœli,
Qveis valeas sanctis animis recludere cœlum!
Si tibi contigerit, contingat cruda, senectus:
Sera sit illa dies, atro carbone notanda,
BECKIADÆ nostri quæ nuntiet ultima vitæ!
Tunc ejus Fasti teneant memorabile nomen,
We lero, Phasianino, Plesisque recenti
Lumine suppositum. Lectis nam fulsit in annis
Horum clarus olor, simul aureus annulus: unde
Ille vocatus olor; sed cygnus & aureus iste;
Hi nominabantur SCHWANRINGI, nomina cum re
Nescientes; sic eluxit sapientia concors.

Vix hæc prodiderat pietas Præconis, & ecce
Intonuit lævum, ac niveis circumvolat alis.
Spes ea, quæ sulcis concredens semina messis,
Fidentes raro foetura pascit inani,
Et nos lætitia simul exultavimus omnes.

••••• (o) •••••

Kapsel 78 N 12 [80] X3011660

CYGNUS SYMBOLICUS, VIRO

MAXIME REVERENDO, EXCELLENTISSIMO, AM-
PLISSIMO, DOCTISSIMOQVE DOMINO,

D O M I N O
SIGIS
BE

LICENTIATO THERRIMO,

PASTORI ET SUPERIORES
CENSES D LEISNI-

PASTORI ET SUPERIORES
ECCLESIAE URIBUS
SEOS AD HANC PERTINENTIA
INSPECTORI PRIMARIO
NTI TAM
M DIOECE-
LÆ CYGNEÆ
VISSIMO,

DELATUM SIBI M
DIE 3. CALEND.
BONIS AU
TITIS

TESTIFICANDAM PIETATIS
ET SPEM CERTISSIMAM
OBLATAM
LETITIAM
CINI,

COL
O,

GEORGIO A
R.



LITERIS,
DANIELIS GOTTLIEBI WUNDERLICHII.



Kapsel 78 N 12 [80]

AV

